



4 A  
Sammelband 173

**Q. D. B. V.**  
**T E R G E M I N V M**  
**S P E C I M E N**  
**D I S P U T A T I O N I S**

A MAGISTRO QVI EST IPSA VERITAS

HABITAE  
*EX MATTHAEI C. XXII*  
*DEMONSTRATVM,*

cuius occasione vna ex Historia Ecclesiastica

DE  
*PHARISAEIS SADDVCAEIS ET*  
*HERODIANIS*

aduersariis Domini Iesu, cum quibus disputavit,  
 disquiritur,

*PUBLICO DOCTORVM EXAMINI*  
*EXPONETVR*

IN ACROATERIO THEOLOGORVM MAIORI  
 PRAESIDE

**D N. VALENTINO Belthem/**

S. Theol. D. & P. P.

*Patrono ac Preceptore suo omni cultus genere*  
*etatem deuenerando,*

**I O A N N E Ebel /**

Sehusa Marchico,

Autore Respondente,

*ad Diem Iulii*

*A. O. R. M DC XCIX.*

---

**IENAE, Litteris EHRICHIANIS.**





FORTVNANTE  
SVMMO RATIONIS NOSTRAE DIRECTORE.

§. I.



N Pharisæos peregre aduentantes, postquam consilium ceperant, ut illaquearent Iesum Dominum ac Salvatorem nostrum in sermone. Versu 15. ( $\pi\alpha\gamma\delta\epsilon\nu\epsilon\nu$  est illaqueare:  $\pi\alpha\gamma\delta\epsilon\varsigma$  sunt laquei, qui ad capiendum invenationibus affiguntur. Lyr. Facilius homo capitur in verbis, quam in factis.)

§. II. Mittunt Magistri Discipulos suos (ætate minores, malitia vero pares, Chrysost. homil. XXV. Operis imperfecti) cum Herodianis (qui a Iosepho nominantur Zelotæ, quando serio zelo sub prætextu religionis & templi libertatem populi Iudaici defendebant) dicentes: Preceptor (διδάσκαλε didascale, ore promunt,  $\pi\lambda\alpha\vee$  plane, corde premunt) scimus (hoc verbum eos olim aliquando condemnabit) te veracem esse (veracem, oportet esse διδάσκαλον) & viam Dei in veritate docere (viam in qua sunt ac sibi obuiam properant benignitas & fides) nec quenquam curare: non enim respicis in personam hominum. Versu 16. Dic ergo (en captationem benevolentia! Ita malevoli eam ambiunt, instituta laudatione & veritatis & sanctitatis & constantiae) nobis: Quid tibi videtur, licetne censum dare Cæsari, an non? versu 17. (dic nobis, inquiunt: quasi vellent dicere:

A 2

Magi-

Magistri ac Præceptores nostri sciunt, sed Cæsar is iratas manus metuentes nobis dicere nolunt, quid sit respondendum ad præsentem quæstionem : Non est res exigui momenti, sed conscientiæ. (Κῆνσος accipitur apud Syrum pro capitacione seu pecunia indicta in singula capita, quæ mandato Cæsar is fuerant recensita & descriptione comprehensa. Atqui hæc capitatio, Dionē teste, ab Augusto duobus modis fuit instituta, nempe in patres familiarum vel domos singulas, & in personas vel capita singularia quæque.)

§. III. Certo primum sibi, ita enim credimus, deinde discipulis suis magistri persuaserant, quæstionem hanc esse instar inexplicabilium laqueorum, si que adfirmantem sententiam tuiturus esset Christus, ipsum odia & iras totius populi aduersus sese excitaturum esse, qui malebat esse liber, quam imperio alieno subiectus, utpote a quo Moses eum liberum pronunciauerit : si negantem, reum fore criminis aduersus Cæsarem commisi, cuius testes omni exceptione maiores futuri sint ad id ipsum instructi & subornati. Sic videbantur sibi videre Iesum illaqueatum.

§. IV. Optimus Iesus videns malitiam eorum ait: *Quid me tentatis hypocrita?* Versu 18. (Iesus cardiognostes non ex verbis, sed ex cogitationibus eos iudicat) *Ostendite mihi numisma census.* (Νόμισμα nomen habet ἀπὸ τῆς νόμου. Nempe indigentia loco ex hominum quasi compacto & conventione quodammodo successit nummus a lege dictus, quia, non natura, sed lege valet, estque in imperantibus situm, eum immutare inutilemque reddere. Aristoteles Moralium Nicomachiorum libro V, capite octauo) *Ipsi vero offerunt ei denarium.* Versu 19. *Nunc dicit eis Iesus: Cuius est imago ista & inscriptio?* Versu 20. (Ad quæstionem Iesus respondet per quæstionem) *Respondent: Cæsar is.* (Habet Iesus quod vult) *Reddite ergo, inquit, quæ sunt Cæsar is, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo.* Versu 21.

§. V. Inueniamus eos, qui vim responsi non aduentunt, adeoque mentem Salvatoris sic explicant : *Quia numisma*

misma imaginem & inscriptionem Cæsaris præ se fert, reddite Cæsari, quod est Cæsaris. Enim vero, si ex eo, quod nummus recepti valoris ac vsus imaginem & inscriptionem Cæsaris, Regis, Principis aut alterius Domini præ se fert, rete inferretur, censum illi Domino, cuius imaginem & inscriptionem exhibit, dandum esse, o Deus bone, quot Dominis hi istiue populi censum dare tenerentur? Contrarium experientia quotidiana testatur. Nec vero quidquam proficiunt, qui aliter nesciunt se extricare, nisi quod dicant, solos nummos Cæsaris nomine ac imagine insignitos apud Iudeos in valore ac vsu fuisse, huc frustra trahentes illud

*Prudentii hymno III. meū seō.*

*En Cæsar agnoscit suum  
Numisma nummis inditum.*

Nam quod nulli alii nummi apud Iudeos valuerint, aperte falsum est. Conf. i. *Maccab.* XV, 6. Quid? quod nudus vsus numismatis ei, cuius imaginem gestat ac inscriptionem, non dat ius exigendi censum ab iis, apud quos introductus est. Cum nummis sæpe se res habet, vt cum legibus ciuilibus, quæ etsi per se sint certæ alicui ciuitati propriæ, vsus tamen earum multis populis ex accidenti communis est, quorum tamen id propter non virus est communis legumlator, ceu patet exemplo iurium ciuilium RomanoGermanicorum, quæ aliarum plurium gentium sunt, a quibus singulis tolli possunt. Sicut enim olim iura Græca, ita nunc illa pasim recepta sunt, et nunc etiam vigent. Nullum dubium est, quin rectius majorique cum iudicio, imo longe felicius, vim responsi emissarii isti Phariseorum attenderint inque cordibus suis senserint, quam laudati interpretes.

§. VI. Agite, vim argumenti explicemus. Ita est: Numisma Cæsaris Romani imagine & nomine insignitum Salvatori nostro exhibebatur. (Romani Cæsares imaginem suam imprimabant monetæ tam aureæ, quam argenteæ: Perfarum vero Reges argenteæ tantum. Videatur *Cuiacius libro XIX obseru. c. 25.*) Ipse Christus tanquam certum & ab ipsis

etiam aduersariis concessum præsupponebat, quod Iudæi tunc essent sub Cæsaris Romani suprema potestate, eumque pro Rege suo agnoscerent (vt fatebantur ipsi *Ioan. XIX, 15.* Non habemus Regem, nisi Cæarem) &, quod Cæsar iure imperii censum ab iis exigeret, & quidem ita vt certum monetæ genus, Romanæ scilicet, præscriberet, quo censum istum soluerent. His igitur præsuppositis, recte Christus, inspeçto numismate census, concludit, danda esse Cæsari, quæ sunt Cæsaris, adeoque dandum ei esse censum, quem & in quo monetæ genere vi supremæ potestatis exigebat. Quippe Cæsar erat, id est, Cæsari, vt summum imperium habenti, census iure debebatur: Cæsaris quoque erat, id est, iure ipsi debebatur illud numisma census, quod exigebat, cum summum imperium habenti vi iuris quæsiti liceat non solum censum a sibi subiectis exigere, sed & certum monetæ genus determinare, quod vt census dari oporteat. Scite *Tosfanus*: Quia ex usu Romanæ monetæ adparet, vos esse sub potestatem & iurisdictionem Romani imperii redactos, ideo tributum debitum Imperatori soluite. Addit Saluator: Et quæ sunt Dei, Deo reddite. Quasi diceret: Id non debet impedire, quo minus dimidium sicli in lege requisitum detis Deo *Exod. XXX, 12.* & iuxta præscriptum verbi ipsi seruiatis, cum Romani libertatem religionis vobis concederint.

§. VII. Quum igitur hoc responsum audissent aduersarii, mirati sunt, & magis muti facti quam pisces, misso Christo abi-erunt. In illo ipso autem die adierunt eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem, eique absurdum casum sequentem proposuerunt, versu 23. dicentes: Magister, Moses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filios, eius frater ducet affinitatis iure vi- duam eius, & suscitabit semen fratri suo. Fuerunt autem apud nos septem fratres, & primus uxore ducta obiit: & quum non ha- beret semen, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter etiam se- cundus, & tertius, & reliqui quatuor. Post omnes septem mortua est & vidua. In resurrectione ergo, cuius e septem erit uxor? omnes enim babuerunt eam. Respondens Iesus, dixit eis: Erratis, nesci- entes

entes Scripturas sacras canonicas , neque potentiam Dei. Nam in resurrectione neque uxores ducunt , neque nuptum dantur : sed sunt ut angeli Dei in coelo. De resurrectione vero mortuorum annon legistis , quod vobis dictum est a Deo dicente : Ego sum Deus Abraham , & Deus Isaac , & Deus Iacob : Deus non est Deus mortuorum , sed viuentium ? Hæc habentur versu 22 & decem proximis sequentibus.

§. VIII. Heic non possumus , quin Maldonati Iesuitæ scabiosum ac præpostorum iudicium de hac Christi disputatione , quod in suo commentario in b. l. fert , notemus : Video , ait , quid responderi possit ( ad argumentum Christo a Sadducais oppositum ) si quis subtilitates querat : Sed considerandum est , voluisse Christum non omnino necessarium , sed tam probabile argumentum adferre , quam ad coarguendos Sadducaeos satis esset . Nam & hac ratione eorum impudentiam & arrogantiam compres- sit , quod cum Scripturam irridentes adduxissent , quasi Christus ex- pedire se ab ea questione non posset , quam proponebant , docuerit eos adeo obtusos & indoctos esse , ut nec ad minimum quidem ar- gumentum ex eodem Mose ad probandam resurrectionem adductum respondere possent . Hæc ille . Quæ si indoctus aliquis ac insul- sus homo ex infima plebe protulisset , non miraremur : Sed cum hæc tanti nominis Iesuita non erubescat publicæ luci ex- ponere , merito definimus mirari eos , qui valde obscurum esse pronunciant , quomodo Christus resurrectionem mor- tuorum contra aduersarios Sadducaeos solide ex verbis Dei , quæ habentur Exodi capite tertio , versu sexto : Ego sum Deus Abraham , et Deus Isaac , et Deus Iacob ; probare potuerit , cum aliud nihil ipse Christus adferat , quam Abrahamum , Isaa- cum & Iacobum viuere : Quod autem resurrecti sint , nec inferat , nec ex verbis illis Dei inferri posse videatur .

§. IX. Redigamus argumentum Saluatoris nostri in formam syllogisticam , eritque tale :

Quorumcunque etiam post eorum mortem Deus est Deus , illi non sunt ita mortui , ut nunquam sint in vi- tam reddituri , sed aliquando reviviscerent , & resurgent .

Atqui

Atqui Abrahami, Isaaci, Iacobi etiam post mortem Deus est Deus.

Ergo Abraham, Isaac & Jacob non sunt ita mortui, vt nunquam sint in vitam reddituri, sed aliquando reuidentur & resurgent.

Maiorem Christus probat ex *versu trigesimo secundo citati capitibus*, quia Deus non est Deus mortuorum, sed viuentium. Phrasis enim illa: *Deum esse alicuius Deum*; significat, Deum alicuius curam gerere, & singulari fauore ac gratia eum complecti: Ast quicunque ita sunt mortui, vt nunquam sint in vitam reddituri, illi plane non sunt, nec vñquam futuri sunt, adeoque nec Deus eorum curam gerere dici potest. Oportet igitur eos, quorum etiam post mortem Deus est Deus, non ita esse mortuos, vt nunquam in vitam reddituri sint, sed ad minimum oportet eos viuere potentia, ita vt aliquando in vitam reddituri ac resurrecti sint, vtpote a Deo in vitam reuocandi ac resuscitandi. Et hoc ipsum Christus in præsenti cum Sadducæis disputatione *Luc. XX, 38.* vocat *viuere eos Deo*, id est, apud Deum haberi pro viuentibus, vtpote quos ad vitam reuocare absolute decreuit, ac certissime reuocaturus est.

Minor patet ex *Exodi capite tertio, versu sexto & decimo sexto.*

§. X. Quisquis vim huius argumenti rite ponderat, evidenter veritatis convictus nobiscum detestabitur impias nugas *Iesuitæ* tam audacter pronunciantis, Christum non omnino necessarium, sed tam probabile argumentum attulisse, quam ad coarguendos Sadducæos satis esset. Item, adeo obtusos & indoctos fuisse Sadducæos, vt ne ad minimum quidem argumentum responderint, imo nec responderere potuerint. Quippe certissimi sumus, *Maldonatum nihil habere, quod ad argumentum Christi respondeat*. Imo si vera essent, quæ *Iesuitæ* nugatur, *Spiritus sanctus* (quod salua pietate dictum volumus) ipse falleret, vtpote qui *versu trigesimo primo & proximo sequenti expresse testatur, Christum*

stum adseruisse, de resurrectione mortuorum citato *Exodi* loco agi. Ita enim habent verba: *Iesus dixit eis*, nempe *Sadducæis*: *De resurrectione mortuorum annon legistis, quod vobis dictum est a Deo dicente: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob?* Ast qua, quæso, ratione Deus de resurrectione mortuorum hæc dixisset, si argumentum a Christo pro probanda resurrectione mortuorum ex citato *Exodi* textu adductum, ceu *Maldonatus* cauillatur, tam exigui momenti est, vt obtusum & indoctum esse oporteat, qui ad istud respondere nesciat? Conferantur loca *Marc. XII, 26.27.* & *Luc. XX, 37.* Addit, turbas, cum audissent, perculsa fuisse ob doctrinam Christi, & obstupuisse. *Versu trigesimo tertio.* Quei autem tanta admiratione perfusæ obstupefactæque fuissent, si nihil solidi Christus respondisset, taleque protulisset argumentum, quod nemo, nisi obtusus & plane indoctus, solvere aut declinare nesciat? Subiicit, Phariseos audiuisse, quod Christus os *Sadducæis* obturasset, *versu 34.* Illi vero (nempe Pharisei) neutquam silentio prætermissuri fuissent, Christum argumentum tam facile solitu tamque ineptum protulisse.

§. XI. Frustra interim *Iesuita* vrget, Christum e *Pentateucho*, non forte ac validum ex *Prophetis* aut *Hagiographis*, sed tam debile ac imbecille argumentum aduersus *Sadducæos* protulisse, eo quod ab ipsis nulli *veteris Testamenti libri* præter *Pentateuchum* pro canonicis haberentur, æque ac *Lutherani* & *Caluiniani*, quos ita vocat, non paucos (quamvis multo pauciores, quam *Sadducæi*) pro apocryphis *veteris Testamenti* venditent, qui tamen sint canonici, & quos *Catholici* (pseudocatholicos intelligit) pro canonicis *veteris Testimenti* agnoscant. Nam ipse supponit, argumentum Christi non esse satis firmum ac solidum, cum tamen contrarium probauerimus, ipsum esse solidum ac euidentissimum omnique exceptione maius argumentum. Nondum quoque probauit aduersarius *Iesu*, *Iesuitam* intelligimus, quod tanquam certissimum adsumit, nempe *Sadducæos* præter-

Pentateuchum nullas recepisse Scripturas: legisse quidem Prophetas & Psalmos, sed sicuti nos legimus istos libros apocryphos veteris Testamenti, quos Pontificii pro canonicis venditant.

§. XII. Evidem non ignoramus hanc esse receptionem opinionem, eamque a non paucis auctoribus defendi, inter quos sunt e Patribus: Tertullianus de præscriptionibus libro primo, Origenes, Hieronymus & Beda in Matthæum: E Pontificiis Cornelius a Lapide, Cornelius Iansenius, Sanctius, &c, ut vidi-mus, Maldonatus, imo saltem non omnes: Ex aliis Faustus Socinus in fragmentis de iustificatione p.m.46. & ex eo Hugo Grotius. Cum quibus etiam faciunt Iunius, Richardus Montacutius, Ioannes Dalleus, Riuetus, Ioannes Gerardus Vossius: Ut multos alios taceamus, quia nec e nostratis Theologis plane defunt, qui eundem Sadducæis errorem tribuunt: a quo tamen ipsos liberarunt Iosephus Fridericus Scaliger, Ioannes Fridericus Spanheimius in dubiis Euangelicis, e nostris Theodorus Hackspanius, &c, quod præcipuum, Iudæi ipsi, e quibus Rabbi Manasse Ben Israel (qui libro primo de resurrectione mortuorum capite sexto p.m.43. diserte scribit: Certum est Sadduceos non negasse librorum Propheticorum auctoritatem, ut ex Talmude liquet) Rabbi Aben Esra & Rabbi Lipmannus præ ceteris nominari menteantur, quorum rationes præcipuas censemus sequentes: (1) quia Iudæi ipsi disputantes contra Sadducæos, atque e Prophetis & Hagiographis, atque ex Lege, hoc est, libris Mosis suas probationes petunt, quod non modo ex Gemara Talmudica, sed etiam ex laudatorum Rabbinorum scriptis, illius libro II de resurrectione, istius ad Dan. XI, 31. huius Nizachon perspicuum est: Hoc autem Iudæi minime facturi fuissent, nisi Sadducæi Prophetas & Hagiographas pro libris canonici habuissent. (2) Sadducæi veritatem suarum hypothesium aduersus Phariseos ex Prophetis & Hagiographis non solummodo probant, sed etiam loca sibi e Prophetis & Hagiographis a Phariseis obiecta aliter intelligenda esse dicunt, atque ad eadem respondent, qua de re prolixè videatur laudatus Hackspanius in præfa-

*prefatione ad Rabbi Lipmanni librum Nizachon, numero 22 et quatuor sequentibus.* (3) *Quis facile patietur se adduci, vt credat ius sedendi in Synedrio magno, suffragia decisiva ferendi, imo etiam adeundi Pontificiam dignitatem, Sadducæis quæsumum fuisse, si tantam Scripturæ sacræ canonicae partem prorsus repudiassent?* (4) *Cur hunc errorem nullibi siue a Spiritu sancto in noui Testamenti scripturis errores Sadducæorum taxante, siue a Pharisæis siue ab historicis antiquis impactum ipsis Sadducæis legeremus?*

§. XIII. Iam ponamus, Sadducæos non solum *Pentateuchum* pro Scriptura sacra canonica habuisse, sed in numero librorum canonicorum cum Pharisæis consensisse, adhuc tamen suppetit satis firma ratio, ob quam Christus ex *Pentateuco*, & non item ex alio quopiam libro canonico argumentum depromere voluerit, scilicet quia ex *Mose* aduersarii argumentum solutu facile Saluatori nostro obiecerant, forte placuit ipsi non modo istud solidissime ac euidentissime soluere, sed etiam ex ipso *Mose* argumentum prorsus insolubile in contrarium adferre. Singulari studio diximus: Ponamus, Sadducæos non solum *Pentateuchum* pro Scriptura canonica habuisse. Fatemur enim lubentissime, non sine magna veritatis specie pro contraria quoque sententia adferri, inter quæ (vti nobis quidem videtur) agmen ducunt ista duo: & quod Sadducæi non aliud quidquam præter *LEGEM* servandum existimauerint, ceu *Iosephus Antiquitatum Iudaicarum* libro XVIII capite II scribit, & quod resurrectionis mortuorum expressa fiat mentio in *Prophetis & Hagiographis*, quam, nisi solos *Mosis* libros pro canonicas habuissent, reiice-re nequiuisserent.

§. XIV. Ad utrumque tamen forsitan responso suppetit, & ad prius quidem, si dicatur, nomine *LEGIS* sapienter non solum *Pentateuchum*, sed vniuersam Scripturam sacram canonicae veteris Testimenti nuncupari, utpote quam significationem etiam usus huius vocis in novo Testamento probat *Ioan. X, 34. XV, 25. I. Cor. XV, 21.* Agnoscit & fatetur,

Cardinalis Bellarminus libro I de verbo Dei, capite secundo. Ad posterius: (1) Sadducæi quoque dicebant, non existere angelum, ceu expresse testatur Spiritus sanctus *Aet. XXIII*, 8. cum tamen in *Pentateucho* aliquoties expressa angelorum fiat mentio. (2) Ipsi Sadducæi resurrectionem mortuorum, supra allegatis *Rabbinis* notantibus, longe aliter explicuerunt, perque mortuos intellexerunt Israelitas hinc inde dispersos, per resurrectionem vero futuram eorundem liberationem. Nec negari potest, etiam hanc significationem in certis Scripturæ sacræ canonicæ veteris Testamenti locis obtinere, inter quæ esse volumus: *Osee VI, 2.* *Vivificabit nos post duos dies: in die tertia suscitabit nos.* Quamvis enim Patrum plurimi, & ipse etiam *Lutherus enarratione ex Hosea fol. 624 Tomo IV Ienensi Latino* eum de resurrectione Christi &, quæ ex ea fluit, nostra resurrectione explicit, idemque sentiant plurimi ex nostris Theologis, non tamen caret hæc explicatio difficultate. Ex contextu enim satis adparet, esse hæc verba adfictorum Israelitarum & Iudæorum loquentium de Deo, qui instar Leonis ipsos dilacerauerat, abstulerat & percusserat, ut in precedentibus dicitur. Hi igitur adficti Israelitæ & Iudæi de Deo dicunt, & *vivificabit nos* &c. Quæ si velimus proprie accipere de *biduo & tertio die*, & verba hæc explicare de proprie dicta resurrectione ex mortuis proprie talibus, dictu difficile censemagni nominis Theologi, quomodo afficti isti potuerint dicere, se post biduum vivificantos & tertio demum die ex mortuis resuscitandos esse. Cum enim hæc loquerentur, adhuc viuebant: neque credibile est, ipsos etiam existimasse, quod iam iam morituri sint & post biduum in vitam reuocandi. Accedit, quod *versu tertio quædam dicuntur*, quæ non videntur competere statui hominum post resurrectionem, cum potius competere videantur statui huius vitæ. Simpliciori igitur sensu per *duos dies & tertium diem* breue tempus intelligi poterat, vt mens Israelitarum et Iudæorum sit, Deus qui nos discerpit & percuspit, vt mortuis similes essemus, *vivificabit nos post duos dies & tertia die excita-*

*excitabit nos, id est, breui nos grauiter afflitos sua gratia & auxilio recreabit, & quasi mortuos in vitam quasi reuocabit, & coram ipso viuemus.* Quoad phrasin conferatur locus *Luc. XIII, 33. vbi per hodie, cras & perendie exiguum tempus indefinitum significatur.* Scilicet dicit ibidem Christus sese insuper habitis illis minis Herodis siue veris, siue fictitiis, in praesenti & adhuc sequenti tempore dæmonia eieeturum & ægrotos pristinæ sanitati restituturum, & tum demum tertia die, id est, breui post per mortem consummandum esse. Mors namque fuit extrema pars operis & muneris Christi in carne peragendi. Itaque oportere se *hodie, cras & perendie*, hoc est breui temporis spatio ambulare & sine impedimento munus suum exequi. Non enim ibi, sed Hierosolymis sibi moriendum esse, quia fieri nequeat, ut Propheta alibi pereat, quam Hierosolymis. (Nam Prophetæ non iudicabantur nisi a iudicibus Sanhedrin, qui Hierosolymæ residebant in exedra domus, *Drusio* notante libro III *præteriorum* p. 99.) Vnde nullum dubium est, quin Christus tum de cursu vocationis prius consummando, tum de itinere Hierosolymam versus suscipiendo loquutus fit. Quasi vna diceret: Non metuo mihi ab Herode, tum quia nulli iniurius vel molestus sum, tum quia nondum venit tempus mihi præstitutum, ante cuius decursum nec Herodes, nec quisquam aliis mihi poterit nocere. Erat enim ultimus annus vitæ, cum haec proferret. Imo plura talismodi dicta canonica occurunt, in quibus quando varii numeri parui & magni adsignantur, certus numerus pro incerto ponitur, ut *Mattb. XVIII, 22. Apoc. VII, 4.* (plura vel ex *Apocalypseos* libro loca adduci poterant) quamuis *Bellarminus* & *Becanus* de Anti-Christo agentes negent.

§. XV. Relicta elumbi interpretatione ac disputatione *Maldonati*, reliquum est, vt aliorum rationes speciem, quandam veritatis præ se ferentes enumeremus, quibus præpediti si non negant, tamen se primum, deinde alias dubios reddiderunt. *Vna* est, quod pii etiam post mortem viuant

secundum animam, sique, licet illi non resurgent, tamen, Deus etiam post mortem eorum id propter Deus ipsorum vocetur, quod quoad animam curam eorum bene gerere poscit, vt adeo ex adductis verbis *Exodi III, 6.16.* ne per pronam quidem ac immotam consequentiam inferri poscit, futuram esse resurrectionem mortuorum. Altera est clarissimum Pauli adseratum *Rom. XIV, 8.* Mortui etiam sumus Domini. Ex quo sponte sua sequitur, Deum posse etiam Deum mortuorum esse, posito, quod vti *Paulus* claris verbis adserit, mortui sint Domini, sique Dominus, cuius mortui sunt, sit Dominus mortuorum, adeoque Deus mortuorum, quia Dominus iste Deus est. Tertia rationis loco vrgetur sequens iam citati capitinis *versus nonus*, ubi *Paulus* vt *Θεόπνευστος* disterente docet, *Christum etiam mortuis dominari.*

§. XVI. Paucis igitur expendamus, quid ad istas rationes responsi loco dici possit. Prima nec pro Sadducæis, nec pro Neopharisæis, id est, Pontificiis hodiernis quidquam facit. Illi enim, nempe Sadducæi, non poterant ita regerere, quod pii etiam post mortem viuant secundum animam, quia Sadducæi negabant animæ immortalitatem vitamque animæ post hanc vitam, vt testatur *Iosephus libro XVIII antiquitatum Iudaicarum*, capite secundo. Verba hæc sunt: *Sadducœorum opinio cum corpore extinguit simul & animas.* Idem adserit *libro II de bello Iudaico*, capite VII sub finem. Quod probe etiam notarunt *Origenes & Hieronymus* in suis ad *Matthæi* caput presens XXII commentariis. Huc facit, quod Sadducæi, Scriptura sacra canonica teste, negauerint Spiritus. *A&t. XXIII, 8.* Item, si *Iosepho*, qui *libro de bello Iudaico* iam citato capite VII, & *libro XIII antiquitatum Iudaicarum* capite IX id ipsum testatur, credimus, prouidentiam diuinam negarunt. Id quod expressis quoque verbis supra allegatus *Rabbi Abraham Zachut* in citato tractatu confirmat: *Sadducæi, inquiens, negarunt creatorem curare res humanas.* Et quidni Sadducæi diuinam prouidentiam curamque siue hominum post hanc vitam, siue animalium post hanc vitam negassent, quando post hanc vitam

vitam omne præmium , sique omnem hominis post hanc  
 vitam curam prouidentiamque diuinam , omnemque etiam  
 pœnam negarunt . Inde namque nomen Sadducæorum for-  
 titi sunt , vt infra ostendetur . Hi vero , scilicet NeoPharisei  
 siue Pontifici , ac inter eos *Maldonatus* , vel etiam alii quiuis ,  
 istud , quod Sadducæos regerere nequiuisse ostendimus , cum  
 fructu aduersus Saluatoris nostri argumentum minime re-  
 gerent , quia totus contextus , & que ac recta ipsius textus in-  
 spectio , abunde docet , Christo in hoc arguento suo non  
 esse sermonem de animabus separatis , sed de integris perso-  
 nis , vt constat ex ipsis quoque verbis Dei a Christo hunc in  
 finem adductis , in quibus utique expressa fit mentio Abra-  
 hami , Isaaci & Iacobi : Ast animæ separatae Abrahami , Isaaci  
 & Iacobi non sunt ipse Abraham , Isaac & Jacobus , vtpote ad  
 quos essentialiter requiritur , vt quisque eorum ex anima &  
 corpore constet . Quid ? quod vita ( animæ ) post hanc vi-  
 tam & resurrectio mortuorum toto cœlo differunt . Illam  
 enim ex lumine naturæ gentiles potuerunt cognoscere , mo-  
 ratoresve agnouerunt , quotquot videlicet immortalitatem  
 animæ fassi sunt : Hæc ex naturæ lumine cognosci nequit ,  
 cum sit purus putus articulus fidei , eamque a se probari  
 Christus apud *Matthæum* , *Marcum* & *Lucam* testatur , nempe  
 resurrectionem mortuorum , vt est apud *Matthæum* , siue  
 quod mortui resuscitentur , vti *Marcus* & *Lucas* efferunt : De  
 resurrectione quoque mortuorum , quam Sadducæi nega-  
 bant *Matth.* 22. *Marc.* 12. *Luc.* 22. *Autor.* XXIII, 8.  
 præcise heic erat quæstio . Quippe versabantur Sadducæi ,  
*Luca* teste capite XX, 27. in terminis contradictoriis cum Chri-  
 sto , dicebantque , non dari resurrectionem mortuorum . Hic  
 igitur status erat controuersia : An detur resurrectio mor-  
 tuorum ? Alterius rationis loco adductus locus *Rom.* XIV, 8.  
 tantum abest , vt argumentum Christi contra Sadducæos  
 prolatum euertat , vt potius dextere intellectus valde istud  
 confirmet . Nam Christus , quando negat , Deum esse Deum  
 mortuorum , sique maiorem argumenti sui probat , per  
 mortuos

mortuos intelligit eos, qui penitus sunt mortui, ita ut nunquam in vitam sint redituri. Tales namque mortuos statuebant Sadducæi, vtpote animæ immortalitatem negantes. *Tertia ratio*, siue eius loco obiectus *versus nonus citati capitil XIV epistolæ ad Romanos* intelligendus est de mortuis, qui aliquando resurrecturi sunt.

§. XVII. *Pharisæi vero, cum audissent, Christum occlusisse os Sadducæis* (Φιμώω, ὡ, idem significat, quod os capistro obturo, occludo, os obligo) id est, Sadducæos ad silentium adegitte, coacti sunt in unum Matth. XXII, 34. Tunc interrogavit Christum unus ex ipsis, isque vox ipsius legis interpres, tentans eum (Notat Theophylactus hunc vox ipsius primo quidem animo maligno ad Christum accessisse, vt eum illaquearet, sed oratione Christi ita profecisse, vt discedens a Christo honestum tulerit elogium, teste *Marcus*, qui refert, quod Iesus eum intuitus dilexerit eum. Sed hoc est μνημονιὸν ἀπόδετημα Theophylacti. Nam iste locus *Marcus*. X, 21. nihil ad eum pertinet, de quo heic agitur & *Marcus*. XII, 28.) dicit: *Magister quod est mandatum magnum in lege?* Facile adducimur, vt credamus, statum controversiæ Christo a Pharisæis per huncce legisperitum motæ non fuisse de uno aliquo præcepto siue de una quadam lege singulari, sed de vniuersa aliqua lege, id est, de toto aliquo complexu legum. Omnes enim leges diuinæ ceremoniales simul acceptas Iudæi vocabant uno nomine *legis ceremonialis*: & ex aduerso omnes leges diuinæ morales uno vocabulo *legis moralis* nuncupabant. Iam vero Iudæi plerique omnes legem diuinam ceremonialem legi diuinæ morali, atque id propter sabbatum operibus legis præferebant, pluris æstimantes sacrificia, quam misericordiam. Nempe iurati hostes ac aduersarii Christi sibi certo persuadabant, ipsum non posse non illaqueari, vtram legem alterutri præferret, & quidem si moralem ceremoniali, putabant se habere, quod exciperent, cur secundam decalogi tablam primæ, atque officia erga homines, vtpote quæ secunda tabula decalogi præcipit, meritis officiis erga Deum, de quibus

quibus solis lex ceremonialis disponit, præferret: Si ceremonialem morali anteponeret, credebant, sese iterum Christum rubori datus datusque, cur igitur tu, totuplici data occasione, toties opera charitatis atque misericordiæ sacrificiis & sabbato prætulisti?

**§. XVIII.** Respondit Iesus versu 37. *& tribus proxime sequentibus hunc in modum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua; Id ipsum est primum & magnum mandatum, id est, prima & magna lex ( quippe lex est mandatum de re vniuersali, & mandatum est lex de re singulari ) Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum ut te ipsum. Ab ipsis duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent.*  Quasi dixisset: tota lex diuina ceremonialis totaque lex diuina moralis resoluitur tandem ac abit in illam legem, quæ dilectionem Dei præcipit: Ast ea lex est diuina moralis. Ergo tota lex diuina moralis toti legi diuinæ ceremoniali est præferenda. Nam & omnes aliæ leges morales, quæ videlicet de officiis hominis erga seipsum & erga proximum præcipiunt, in leges morales de officiis hominis erga Deum, hæque omnes in legem moralem de dilectione Dei abeunt ac resoluuntur. Proximus a te diligendus est non præ te ipso, sed iuxta te ipsum, vt adeo dilectio, qua te ipsum diligis, debeat esse regula dilectionis, qua proximum diligis: utriusque vero dilectionis, cum quæ, tum quæ proximum prosequeris, normam oportet esse dilectionem Dei.

**§. XIX.** Lubet hæc distinctius exponere, & quidem Augustinum libro VIII de Trinitate, capite VII natu rōda sequentibus: Cum duo sint præcepta, a quibus pendent lex & Prophetæ, dilectio Dei & proximi, non immerito Scriptura plerumque pro utroque unum ponit, siue dilectionem Dei, sicut est illud: *Scimus quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum Rom. VIII, 28.* siue dilectionem proximi, sicut est hoc: *Omnis lex in uno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum Rom. XIII, 9.* Sed hoc ideo, quia quisquis proximum diligit ut seipsum, is seipsum

C

dili-

diligit: qui autem seipsum diligit, consequens est, ut Deum diligit. Non enim qui seipsum recte diligit, diligit se propter se, sed diligit se propter Deum. Ex una eademque charitate Deum, se & proximum diligit, qui recte diligit, sed Deum propter Deum, se autem & proximum propter Deum. Et ut *Ioannes I epistola, capite V, versu secundo* scribit: *In hoc cognoscimus, nos diligere filios Dei, cum Deum diligimus, & præcepta eius seruamus.* Igitur non errant, qui alia methodo hæc duo præcepta moralia a Christo heic allegata pro tribus venditant moralibus præceptis, quia tria sunt obiecta dilectionis, sicutque pro triplicitate obiectorum tria moralia præcepta dilectionis statuunt: Quippe mihi præcipitur dilectio Dei, dilectio mei ipsius, & dilectio proximi. Deum iubeor diligere super omnia, proximum vero non præ me ipso, sed iuxta me ipsum, vt adeo sanctissimum supremumque Numen meam dilectionem mei ipsius velit iubeat esse normam meæ dilectionis proximi, sicutque dilectionem mei mihi vna præcipiat. Quomodo enim possem diligere proximum vt me ipsum, nisi me ipsum diligenter? Et quomodo possem meam dilectionem proximi conformare meæ dilectioni mei ipsius vi moralis præcepti diuini, nisi ad me diligendum præcepto legis diuinæ moralis obligatus essem? Ast nemo, teste Scriptura sacra canonica, Deum diligere potest, nisi etiam diligit proximum *i. Ioan. V, 20.* sicutque etiam certissimum relinquitur, quod vna ex his tribus dilectionibus, quamcumque etiam nominaueris aut intellexeris, absque duabus reliquis nequeat consistere. Scilicet charitatem habens, quæ ex puro corde & conscientia bona & fide non ficta proficiuntur, diligit Deum, & proximum vt seipsum. Amator enim Dei amator est sui, & qui non diligit Deum, non diligit proximum, quia non diligit seipsum. Sic igitur meus amor mei & proximi regulam agnoscit ac agnoscere debet meum amorem Dei, vt amor, quo me & proximum prosequor, placeat Deo propter Christum.

S. XX. Nihil habebat iste Legisperitus, quod aduersus

sus datam Christi responcionem exciperet, vnde dixit : *Be-ne, Magister, verissime respondisti, nam unus est Deus, nec aliis est preter eum : Et diligere eum ex toto corde, Et ex tota intelligentia, Et ex tota anima, Et ex totis viribus, ac diligere proximum ut se ipsum, plus est quam omnia holocausta et sacrificia.* Quasi diceret, omnis externus cultus Deo exhibitus fundatur in vera dilectione Dei, absque qua nullus cultus Deo ut auctoritati salutis spiritualis ac æternæ gratus est. Tum Iesus, quum vidisset eum *v&v&χως cordate* (quasi diceret : habendo mentem) respondisse, dixit ei : *Non procul abes a regno Dei. Cupi-dus enim erat discendi, teque in scholam Christi receperat, ipsaque lex est paedagogus ad Christum.* Et nemo amplius audebat Iesum interrogare vel quidquam ei opponere. Hæc habet *Marcus capite XII, 32.33.34.*

§. XXI. Enim vero nunc Iesus opponentem agit, Pharisæisque argumentum opponit, nobis quidem facile solutum, at Phariseis ob falsissimam eorum hypothesin, quam fouebant, prorsus insolubile, dicens : *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* Dicunt ei : *Dauidis.* Dicit eis Iesus : *Quomodo igitur Dauid cū πνεύματι per Spiritum vocat eum Dominum?* Inquiens : *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dextram meam, usque dum ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Si ergo *Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est?*

§. XXII. Evidem limam iudicii adhibere nescientibus primo intuitu videri poterat, ac si istud argumentum a Iesu propositum facile solui, sique in formam syllogisticam redigatur, ad istud formaliter responderi posset, negando maiorem propositionem, si nempe ita proponatur : *Qui-cunque est alicuius hominis Dominus, is non est eius filius.* Atqui Christus est Dauidis Dominus. Ergo Christus non est Dauidis filius. Annon enim negari poterat maior? Quippe fieri potest, vt is, qui alterius filius est, simul sit ipse Rex, adeoque Dominus. Si namque filius fiat Rex, pa-ter maneat Regiæ potestati subiectus, sic certe pater filium suum adpellare potest, imo iure meritoque Dominum su-

um adpellat. Verum hoc non erat argumentum Christi, & qui sic argumentantur, aut ex infiditia, aut ex malitia Christo attribuunt, sique adsingunt argumentum. Ita se habet Christi argumentum in formam syllogisticam redactum: **Quicunque est illius hominis, qui est Rex potentissimus atque nullum hominem in toto terrarum orbe agnoscit se superiorem, imo neminem prorsus agnoscit se superiorem, nisi verum Deum, filius, is non est illius hominis Dominus.** Atqui Christus est Dauidis, sique illius hominis, qui est Rex potentissimus, atque nullum hominem in toto terrarum orbe agnoscit se superiorem, imo neminem prorsus agnoscit se superiorem, nisi verum Deum, filius. Ergo Christus non est Dauidis Dominus. Vel etiam ita formari potest argumentum: Nullus homo, cuius pater Rex est potentissimus neminemque nisi verum Deum se superiorem habens, est patris sui Dominus. Atqui Christus est homo, cuius pater, cui nomen Dauid, est Rex potentissimus neminemque nisi verum Deum, se superiorem habens. Ergo Christus non est Dauidis Dominus. Vel breuisime sic formabitur: Nullus filius Regis Dauidis est Dominus Regis Dauidis. Christus est filius Regis Dauidis. Ergo Christus non est Dominus Regis Dauidis. Syllogismus in forma optimus: conclusio vero, patentibus aduersariis Christi, est falsa. Aut igitur maiorem debebant negare, aut minorem. Neutram negare poterant: Non minorem, hanc enim concederant Christo quareanti, cuius filius sit Christus? respondentes: Dauidis. Nec vero maiorem, quæ est apertissimæ veritatis. Homo enim, qui est sui patris dominus, est superior suo patre: At Dauid nullum hominem habebat se superiorem.

§. XXIII. *Nemo aduersariorum poterat Christo respondere quidquam, neque ausus fuit quisquam ab illo die amplius eum interrogare, vel ei quidquam opponere. Versu 46. Sed (Deo sit laus, eique grates immortales reddimus) ad argumentum istud Christi etiam pueri nostri respondere possunt, ac facile*

facile simulque rectissime respondent, adhibita distinctio-  
ne: Christus est filius Dauidis secundum humanam natu-  
ram, & est quoque Dominus Dauidis secundum diuinam  
naturam. Nam Christus non est merus homo, quamuis sit  
verus homo, quia simul est verus Deus. Iam quia verus  
Deus est Dominus Dauidis, etiam Christus est Dominus Da-  
uidis, quia Christus est verus Deus. Heic debuissent Pha-  
risæi agnoscere veram diuinitatem Christi, sed nolebant pro-  
pria sua culpa: Imo iste Legisperitus, qui Christo Iudice,  
non procul aberat a regno Dei, nunc potuisset, si voluisset,  
propius ad regnum Dei accedere, & probe attendere, quod  
nullus cultus, quem homo peccator Deo exhibit (quæcun-  
que tandem ac quotquot holocausta & sacrificia Deo  
offerat ac pro se offerri sinat) Deo ut auctori spiritualis æter-  
næque salutis placeat, nisi profiscatur ex vera fide Christi,  
& Domini Dauidis & filii Dauidis, sanctissimum meritum  
apprehendente ac tenente. Quid? quod nec vlla dilectio  
Dei, quam mortales exercent, Deo placeat, nisi ob Christi  
Θεανθρώπου meritum fide diligentis adprehensum.

## DE PHARISAEIS.

### I.

**P**HARISAEORVM secta in ecclesia Iudaica visibili, &  
quæ qua talis, cum Christus visibili specie in terris officio  
prædicantis fungeretur, tota a vera fide deficiebat, certe erat  
præcipua, seque apud rudem plebeculam miris artibus præ-  
cæteris sectis sectarumque Doctoribus insinuauerat. Dicti  
sunt *Pharisæi* a פְּרָשִׁים, quasi vel interpretes legis, vel certe se-  
lectos & segregatos dicas a reliqua plebe. Vtramque enim  
significationem vox admittit. Videatur eminentis eruditio-  
nis & magni iudicij Theologus *Georgius Calixtus* in *quatuor*  
*euangelicorum scriptorum concordia*, libro II, capite I, pag. 78.

### II.

Historiam *Pharisæorum* ac *Pharisæismi* speculum Pontifi-  
ciorum

ciorum hodiernorum hodiernique Papismi minime fallax  
haud immerito dixerimus.

## III.

PHARISAEI primo tradebant , multo plura dogmata dari cuiuis homini æternum saluando cognitu necessaria , quæ ex verbo Dei scripto nec expressis verbis , nec æquipollentibus , nec per pronam ac immotam consequentiam haberri queant , quam quæ ex eo haberi debeant vel possint : ista vero immane quantum extollebant , verboque Dei scripto præferebant . Annon idem PONTIFICII sentiunt ? Hinc quoque initium docendorum nouitorum a traditionibus , & non a Scriptura sacra canonica faciunt .

## IV.

*Secundo* , PHARISAEI verbum Dei scriptum vestimento , osibus atque corpori adsimilabant , sensum vero eius non scriptum ( quem interpretationis nomine nuncupabant , ut pote interpretationem cum sensu confundentes ) comparabant animæ , vt qui in Scriptura sacra canonica studeant absque Pharisaico interpretamento , corpus teneant sine anima : Annon PONTIFICII audacter adserunt , verum ac legitimum sensum Scripturæ sacræ canonice haberi nequaquam posse , nisi ex Papæ Romani traditione & auctoritate ?

## V.

*Tertio* , PHARISAEI mera sua commenta cum opinione meriti , cultus diuini ac necessitatis hominibus obtrudebant Matth . XV , 9. quo ipso secta eorum a cæteris maxime distinguebatur : Easdem fabulas maiorique conatu PONTIFICIOS agere nemo inter nos est , qui nescit .

## VI.

*Quarto* , PHARISAEI per traditiones mere humanas , nempe suas , transgrediebantur mandatum Dei , ceu Christus Matth . III , 3. diserte testatur : Idem PAPISTARVM vota Monastica contra iustum parentum voluntatem a filiis lata , vota perpetuæ continentia a coniugatis , vota cœlibatus , vota

vota obedientiæ tanquam maximæ pro peccatis satisfactio-  
nes & opera supererogatoria abunde testantur.

## VII.

*Quinto, PHARISAEI* longe aciores diligentioresque animaduersores erant transgressorum traditionum suarum, quam diuinorum legum, maiorisque semper estimabant magistrorum commenta, quam diuina præcepta. Ita enim tradunt Talmudistæ: *Si Propheta dicat, violandum esse unum ex omnibus præceptis diuinis, quæ recensentur in lege, vel præcepta multa, tam leuia quam grauia, ei auscultandum esse, excepta idololatria: at si quis eradicarit aliquid eorum, quæ traditione acceperunt, istum tanquam pseudoprophetam laqueo perimendum esse, et si fecerit signum.* Videantur Rabbi Mosis Maimonidis constitutiones de fundamentis legis, capite LX, numero V & VIII. Sed quid PONTIFICII? Euoluamus *Ius Canonicum*: *Si quis in ullum decre-  
tum Romani Pontificis commiserit, veniam sibi deinceps noue-  
rit denegari.* Quod adhuc semel, imo etiam tertia vice re-  
petitur c. si Romanorum Pontificum distinctione XIX. Expressè Cardinalis Bellarminus in suo tractatu de verbo Dei, libro IV, ca-  
pite VII scribit: *Quædam sunt traditiones maiores quoad obliga-  
tionem, quam quædam Scripturae.*

## VIII.

*Sexto, PHARISAEI, Christo iudice, excolabant culices, camelos autem glutiebant Matth. XXIII, 24. Exempli gratia: nolebant die parasceuæ ingredi prætorium: Iesum vero in-  
nocentem ad mortem petere non verebantur. Idem de-  
PONTIFICIIS dixeris, vtpote qui minutiora quædam rigi-  
disime ac superstitiose seruant, & alia maiora negligunt.  
Exempli gratia: Abstinent certis diebus ab esu carnium, &  
permittunt scortationem, eamque in rem erigunt lupanaria,  
ex quibus Pontifex Romanus vectigal accipit. Sacerdotem  
quoque leuiter peccare dicunt, si scortetur; longe autem  
grauius peccare, si in coniugio (quod tamen pro sanctissi-  
mo sacramento noui testamenti venditant) viuat. Quid?  
quod Sixtus IV (qui nobile lupanar Romæ extruxerat) fa-  
miliæ*

miliæ Cardinalis D. Luciaæ sodomitam permisit, si Pontificio scriptori, Ioanni VVesselo, Gruningano, quem lucem mundi dixerunt, id testanti in suo tractatu de indulgentiis papalibus, fides habenda.

## IX.

*Septimo, PHARISAEI ex suarum traditionum obseruatione quærebant inanem gloriam & opinionem sanctitatis apud homines, cum nihil minus quam sancti essent Matth. XXIII, 28. fingentes (verba sunt Irenæi libro I, capite XXIV) sese plus quam quæ dicta sunt, obseruare, diligentiam suam ipsi Deo præferentes. Annon idem de PONTIFICIORVM consiliis perfectionis, & operibus satisfactionis (quæ iactant aliisque vendunt) iure meritoque dixeris? Loquatur contra ipsos Pontificios ipse Pontificius, Georgius Cassander in Consultatione (Cæsarum iussu & auctoritate scripta, & a Theologis Coloniensibus cum in præfatione, tum in epitaphio ipsi in Francisci templo Coloniæ eretto valde laudata) articulo XXV, vbi in eo totus est, ut demonstret religionem veram & solidam in superstitionem & inanem speciem religionis conuersam esse, & ad crescentibus opibus decreuisse pietatem, in que eius locum LARVAS CEREMONIARVM successisse, in quibus, veræ pietatis operibus neglectis, summa totius religionis constituta sit.*

## X.

*Octavo, PHARISAEI quarundam traditionum suarum obseruatione aucupabantur opes ac diuitias, præsertim longis precibus, quarum prætextu viduarum domos deuorabant Matth. XXIII, 14. aurumque ac argentum, quo delectabantur Luc. XVI, 14. atque dona, quibus ipsi pascebantur, sanctiora dicebant ipso templo & altari, vt homines promptiores fierent ad offerenda dona, quam ad preces fundendas in templo & iusticias faciendas. Ecquis PONTIFICIOS Pharisaës æquiparandos esse negauerit, nisi præferendos adseruerit, si lucrum ponderet, quod ex precibus, vigiliis, missis priuatis pro animabus defunctorum, indulgentiis, iubilæis captant.*

XI. No-

*Nono, PHARISAEI contra expressam legem diuinam adprobabant verba filii indignantis, & vt parentibus ægre faciat, Deo siue gazophylacio vouentis, quidquid ipsis alienis impendi poterat, dicentesque : donum esto, quocunque a me iuuari possetis Matth. XV, 3. 4. 5. 6. Eadem, quæ Pharisei Iudeorum filios, PONTIFCII religioni pseudocatholicæ addictos docent, nempe facultates, quæ nondum sunt in vuentium potestate, Deo vouere, vt si iuuandi sint parentes, illi obtendant votum oblationis, eoque se excusent. Vtriusque generis Pharisei eandem incurunt reprehensionem, quod videlicet purgent exteriorem poculorum patinarumque partem, intus autem illa plena sint rapina & intemperantia Matth. XXIII, 25. Tanto detestabiliores autem sunt Neopharisei, dum pronunciant, filium aut filiam, contra voluntatem parentum in monasterium abeuntem, licite posse, si mater vterum gestans ac breui paritura in limine monasterii iaceat, ac immorigerum filium aut filiam dehortetur, propositumque impedire velit, saltum de terra ad veterum eius facere etiam cum præsentissimo & matris & fœtus periculo.*

*Decimo, PHARISAEORVM traditiones, quibus vrgendis & ampliandis omnis opera impeñebatur, haud paucæ erant valde ridiculæ, vanisimæ, superstitionæ. Exempli gratia, peculiarem sectam diabolorum statuebant iis vehementer nocentium, qui manus ante cibum non lauant, deinde talis inquinamenti contagium ac ideo manus impuras vel ob meram intermissionem lotionis censembarunt: Sed quid dicemus de PAPISTICIS adspersionibus & baptismis, ceu vocant, campanarum, bombardarum, nauium &c. Nulli dubitamus, quin ex simili vanitate originem traxerint, cui frequentes ablutiones poculorum, vrceorum, æramento-rum & lectorum, aliarumque infinitarum id genus rerum, propter quas præcepta Dei reiecerunt, & solas senio-*

rum & sapientum constitutiones feruarunt, ortum debent.

## XIII.

*Vndecimo*, PHARISAEI prauas cogitationes, effectu non sequuto, ne apud Deum quidem in crimen ponit putabant, seque ab omni peccato prorsus liberos ac immunes pronunciabant: Idem PONTIFICII sentiunt, meras scilicet prauas concupiscentias siue interiores concupiscentiarum prauos motus pro peccato non habentes. Hinc NeoPharisaismus instar soricis se prodit, quando a Pontificiis communiter urgetur locus ille Pauli, dicentis: *Concupiscentiam non nouissem esse peccatum, nisi tex dixisset, non concupisces Rom. VII, 7.* Paulus enim de se in Pharisaismo adhuc versante loquitur, ceu ex capite *V Matthæi* perspicuum est, ac ingenue confitetur, se crasum Pharisaorum errorem olim errasse. Notum est illud Talmudicum: *Cogitationem malam non reputat Deus pro opere.* Nec obstat, quod *Philipp. III, 8.* dicitur, Paulum in lege fuisse irreprehensibilem. Ibi enim Apostolus de externa iustitia in conuersatione, non autem de interna sanctitate loquitur.

## XIV.

*Duodecimo*, PHARISAEI docebant a se impleri posse totam legem Dei, inque operibus legis querendam esse iustitiam. Idem profitentur PONTIFICII, quamuis modestiores friuola distinctione inter opera legis & euangelii hunc cum Pharisaïis consensum studeant palliare.

## XV.

*Decimo tertio*, PHARISAEI præcepta diuina minima, quæ vocabant, habebant pro nullis, & putabant non obligare: (*Credimus Salvatorem nostrum ad similitudinem phrasos Pharisaicæ vocasse minimum in regno cœlorum Matth. V, 19.* qui plane nullus futurus erat, quod etiam concedit *Bellarmino*) Probe iudicat *Augustinus*, minimum, Seruatore iudice, id est, plane nullum futurum in regno cœlorum, qui unum mandatorum ελαχιστου fuerit transgressus, nisi mature

ture per pœnitentiam delicti gratiam fuerit consequutus. Et sane si inspiciatur textus, quisque facile aduertit scopum Christi, qui erat corrigere doctrinam Pharisaicam, peccata leuiora non damnare. PONTIFICII peccata natura sua ac per se venialia statuunt, quibus a gratia Dei non excludantur. Nec mirari subeat, cur ob anathematis plagam a Consilio Tridentino (quod sessione XIV, capite quinto videatur) dissentire nolentes mantelia se inuenisse credant, quibus dissensiones suas tegant, ut quando Bellarminus venialia peccata dicit esse, quæ non simpliciter sint peccata, sed imperfette, non contra, sed præter legem Dei, & quæ Deus iusto iudicio non possit, nisi pœna temporaria afficeret. Videatur libro V de iustificatione, capite V, item XIV & XVII, & Fernandes de Moure Theologia morali pag. 838. Probabilius est non remitti peccata venialia per aquam benedictam ex opere operato. Ita Suar. Cum igitur aqua benedicta perfundimur, excitatur in nobis deuotionis actus, & per hunc ex opere operantis veniale tollitur. Paulo Laymanno Theologiae moralis de sacramento pœnitentiæ capite V, videntur talia citra culpam taceri posse, aliisque remedii expiari, scilicet humili pectoris tunzione & aquæ benedictæ' adspersione.

## XVI.

Decimo quarto, PHARISAEI & PONTIFICII cum uno tertio, nempe Iuda proditore, exacte conveniunt. Nam & illi & isti tot ac easdem partes veræ ac salutaris pœnitentiae statuunt ac defendunt, quot ac quibus pœnitentia, in qua Iudas miserrime periit, constituit. Nempe contritione cordis, confessione oris & satisfactione operis cum Iudæi, tum Pontificii veram ac salutarem pœnitentiam absolui censent: Annon vero Iudas & grauisimo dolore tangebatur, & aperente sacerdotibus confitebatur scelus, & ex Iudæorum æque ac Pontificiorum hypothesi pro eo satisfaciebat? Ita enim Iudæi, Maimonide teste, requirunt, ut peccator exacte satisfaciat Legi, si que delictum poscat flagellationem, hanc subeat: Sin ipsam mortem, imponat sibi pœnam, quæ parum ab ipsa internecio-

*ne differat.* Pariter Pontificii satisfactionibus suis se redime-re, imo pœnam sensus in gehenna alias luendam, remota, æternitate, heic pati sibi persuadent. Discedit quidem Cardinalis *Bellarminus* ab istis, qui dicunt, peccatorem satisfac-tione sua vindicare offensam diuinam commissam, ut hoc modo restituatur sibi amicitia diuina, hoc est, pro ipsa etiam culpa satisfieri a nobis posse: Ac cum nefas duxisset hæc re-futare, subiungit: necesse non est de subtilitatibus disputare. Enim vero si vel maxime satisfactionem Christi pro no-bis præstitam ad amicitiæ Dei recuperationem & pœnæ sem-piternæ evasione restringat, pœnamque duntaxat tempo-rale nos per Christi gratiam idoneos factos exsoluere, at-que adeo Deo labore nostro nos satisfacere perhibeat, qua de re videri potest *libro IV de pœnitentia, capite quinto*, hanc tamen subordinationem nostræ satisfactionis Scriptura sa-cra canonica. 1. *Ioann. II,* 2. *Rom. VIII, 34. V, 1.* prorsus reiicit. Multa alia heic adduci poterant, in quibus Pharisei & Pon-tificii conueniunt. Præcipiebant olim Rabbini, ut pro deli-cti qualitate pœnitens se conferat in locum formicarum, ibi-que corpus nudum tempore æstiuo exquisitissimis doloribus exponat: Vel sedeat in aqua, cum gelu adstricta est. Pa-gina huic labori destinata non permittit, complures alias ra-tiones iam recensere, quibus optime Pontificii æquiparan-tur Iudeis, imo certe eos superant.

## XVII.

*Decimo quinto, vti PHARISAEORVM, ita PONTIFI-CIORVM religio nullam præbet, imo ne quidem ullam pro-mittit consolationem.* Audiamus *Concilium Tridentinum*, cu-ius hæc sunt verba: *Nullus scire valet certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Hæc ses-sione VI, capite IX, habentur. Cum quibus consona sunt, quæ de Phariseorum aliorumque Iudeorum religione *Rabbi Ionas* verba *Salomonis Proverb. XXVIII, 13.* (æque ac *Bellarminus* ea-dem *Salomonis* verba inculcat, incertitudinem propriæ gra-tiæ commendaturus) contra scopum textus interpretatur:

*Etiam si*

*Etiam si quis confessus fuerit peccata, iisque valedixerit, tenetur nihilominus perpetuo metuere, ne forsitan pœnitentia ipsius abduc ali quid desit. Hæc ille. Ast quæ religio nullam consolationem, imo potius ansam ad desperationem præbet, ea non est vera saluifica religio Rom. XV, 4.*

## XVIII.

Propositum nobis erat hucusque adducta & plura alia prolixius deducere, nisi angustia chartæ prohiberemur, : Credimus tamen hæc sufficere ad demonstrandos & inter se conferendos Pharisaos veteres & NeoPharisaos, id est, Pontificios.

DE  
SADDUCEIS.

## XIX.

Certe si nullam aliam ob causam NeoPharisaï eorumque Rabbini nos cum Sadducæis componerent, nisi ob quam præcipue hi apud Pharisaos, Iosepho, Mattathiæ filio, teste, in odio erant, lubentia lubentius pateremur LVTHERANOS cum SADDUCEIS componi. Ipsi namque Sadducæi unicam, genuinam & adæquatam normam omnium omnino dogmatum, cum fidei, tum morum cognitu necessariorum statuebant solam Scripturam sacram canonicam. Traditiones autem non scriptas, ex quibus multa dogmata, cum fidei, tum morum, tanquam ex verbo Dei non scripto ( vt-pote quæ ex verbo Dei scripto secundum Pharisaorum mentem haberi nequeant) peti, fingentibus Pharisaïs, possint ac debeant, verisime testante NeoPharisaõ Maldonato, reiiciebant, & quidem rectissime. In eo namque idem cum Christo, Salvatore nostro, expressis verbis Pharisaicas traditiones apud Mattheum, in primis capite XV & XXII reiiciente ac damnante sentiebant, ipsiusque Scripturæ sacræ veteris Testamenti tot luculentissimis testimoniosis, cum primis Deut. IV, 2. XII, 32. nitebantur, æque ac Nostrates uno ore iisdem nituntur,

tur, & cum Sadducæis rectissime sic colligunt: Sola Scriptura sacra canonica est vnica, genuina & adæquata regula omnium omnino dogmatum, cum fidei, tum morum vnicuique homini æternum saluando cognitu necessariorum, adeoque omnium etiam controuersiarum de fide & religione, quia in iis adeo perfecta est, vt ei nec addi, nec detrahi quidpiam ab hominibus debeat.

## XX.

Testem adducimus Iosephum, qui libro *XIII Antiquitatum Iudaicarum*, capite *XVIII* satis luculenter testatur, Sadducæos Phariseis valde exosos ac detestatos fuisse, maxime ideo, quod solam Scripturam sacram canonicam siue solum verbum Ιη<sup>η</sup>ηε<sup>η</sup>ρο<sup>ν</sup> pro vniça, genuina & adæquata norma fidei & religionis, atque controuersiarum de fide & religione agnoscerent. Ita enim ille: *Nunc, ait, indicandum est, quod multas constitutiones a maioribus per manus acceptas Pharisei tradiderint populo, que non sunt scriptæ inter leges Mosaicas:* Et ideo Sadducæi his auctoritatē abrogant, dicentes, oportere eas tantum seruari, quæ scripto continentur. Atque hinc magna inter utrosque exorta est controuersia, dum ditiores stant a Sadduceorum partibus, Pharisei ceteræ multitudinis nituntur fauoribus. Hæc Iosephus, qui libro *II de bello Iudaico*, capite *VII* (ad quem locum iam citato loco ipse nos remittit) videatur. Digna quoque est historia, quam modo citato capite *XVIII* laudati libri *XIII Antiquitatum* recenset, quæ legatur, cum genium ac indolem Iesuitarum exakte repræsentet.

## XXI.

Ne autem Neo Phariseis (id est Pontificiis huius iure meritoque sibi competentis tituli maxime consciis) iniuriam facere videamus, quod eis imputemus, ac si scabioso, quod censem, Neo Sadduceorum nomine nostros traduant, dabimus eis aduocatum, eumque Neo Phariseum, supra laudatum *Maldonatum*, celebrem Iesuitam, qui in suis memoratis *commentariis*, & quidem in *Matthæi caput III commentaria VII*, inque hæc verba: *Videns autem (Ioannes Baptista) multos*

multos Phariseorum & Sadduceorum venientes ad baptismum suum &c. pag. m. 69. expresse scribit sequentia: Duo hominum genera, qui plurimum apud Iudeos gratia & auctoritate valebant. De his (nempe Sadduceis) nihil in veteri Testamento legimus. Genius enim erat non officii & potestatis, quales Sacerdotes & Scribae, sed heres non multo ante Christi tempora introductae, ut ex Iosepho illo antiquo, & ex illo altero Ben Gorionis colligitur, quales hodie sunt ministri & supervigilantii, & similia nomina nuper inuenta eorum, qui nulla vocati auctoritate, docendi regendique officium usurparunt. Vtrosque inter alias Iudeorum sectas ipse Iosephus describit libro XIII Antiquitatum capite IX & XXIII, & eiusdem libri capite I, & libro XVIII, capite II, & libro I de Bello Iudaico, capite VII. Hæc Iesuita Maldonatus, qui paucis aliis interieatis sequentia subiungit: Pharisei, inquiens, quasi Catholici a Iudeis habebantur. Itaque publice docendi munus & auctoritatem habebant, Christi etiam testimonio confirmatam. Super cathedra Mosis federunt Scribae & Pharisei Matth. XXIII, 2. Observus semper Scribas Phariseis anteponi, fortasse quod antiquiores & diuinæ institutionis essent. Nam Pharisei humano instituto introducti fuerant: Sadduceos tanquam hereticos Iudei habebant, ut A&t. XXIII, 6. manifestum est, eosque Iosephus LUTHERANIS & CALVINISTIS simillimos facit, superbos, seditiones, principum gratiam captantes, incredulos. Nam neque resurrectionem, neque animarum immortalitatem, neque spiritum credebant, neque aliud quidpiam, quod non sensu aut ratione manifesta comprehenderent Marc. XII, 18. A&t. V, 17. & capite XXIII, 8. In eo etiam similes, quod nullas admitterent non scriptas traditiones, & ex sacris ipsis libris, quos vellent, adprobarent, quos vellent, reiiccerent. Itaque solum Mosis Pentateuchum tanquam a Deo dictatum recipiebant. Ceteros homines fuisse errareque potuisse, quæ causa fuisse creditur, cur eos Christus de resurrectione disputans, non aliis testimoniis, quam Pentateuchi, cum alia clariora essent, coargueret. Matth. XXII, 31. 32. Haec tenus Maldonatus.

## XXII.

Quamvis vero cum Sadduceis contra Phariseos & Pontificios

ficos sanctissime tueamur, nihil pro dogmate vnicuique homini æternum saluando cognitu necessario habendum esse, nisi ex *Scriptura sacra canonica* haberri poslit ac habeatur, merito tamen detestamur grauisimum *Sadducaeorum* errorem, quem errabant, quando nihil pro creditu necessario dogmate agnoscebant, nisi totidem verbis in *Scriptura sacra canonica* exstet. Hunc enim errorem nobis, cum multis aliis NeoPhariseis Domini Fratres Bataui, Petrus & Adrianus de *VValenburg*, ille Episcopus Adrianopolitanus, hic Episcopus Mysiensis in *Methodo Augustiniana*, parte I, capite II, numero VI adsingunt, & adserere non erubescunt, Lutheranos statuere omnia vnicuique homini æternum saluando cognitu necessaria totidem expressis, claris & perspicuis verbis contineri in *Scriptura sacra canonica*, adeo ut nec interpretatione, nec consequentia egeant, hocque falso presupposito, capite III, numero I dicunt, nos teneri adferre solam Scripturam, inque terminis expressis nos debere illud legere ex *Scriptura*, quod tanquam necessarium ad salutem proponimus. Similia habent in *corollario practico*, dialogo I, numero XV & sequentibus. Imo tandem eo impudentiæ procedunt, ut dicant, nos teneri etiam articulos negatiuos, exempli gratia: non esse purgatorium, expressis Scripturæ terminis probare, cum tamen nos ne quidem obligauerimus ad probandum vnamquamque negatiuam per terminos expressos Scripturæ. Patentur enim nostrates Theologi uno ore omnes, & contra Sadducaeos defendunt, quædam credenda expressis verbis non haberri in *Scriptura sacra canonica*, imo ne quidem æquipollentibus, per immotam tamen & pronam consequentiam ex *Scriptura sacra canonica* deduci posse ac debere, imo etiam rectissime deduci. Magis ingenue hac in parte nostram sententiam proponit NeoPhariseus *Iacobus Masenius*, licet Iesuita sit, parte III meditatae concordiae p. m. 43. Expressæ namque ibi de Nostratisbus, tenent, ait, & illa, quæ implicitæ in *Scriptura sacra* continentur, & per consequentiam ex ea eruuntur, credenda esse, *Hæc Masenius.* De genuina Nostrâ

tium

tium Theologorum sententia videatur B. *Ioannes Gerhardus* in exegesi loci I de *Scriptura sacra canonica*, capite XIIIX, §. 366. & B. *Ioannes Musæus* in plane eximio tractatu de *usu principiorum rationis in Theologia revelata contra Vedelium*.

## XXIII.

Fallit aduocatus NeoPharisæorum, quando Sadducæos negat esse genus officii & potestatis, qui tamen a Phariseis locum in Iudaismo proximum tenebant, utpote Phariseorum collegæ, qui non minus in Synedrio sedebant, quam Pharisei, imo Pontifica etiam dignitate insigniebantur *Act. V, 16.* Magis igitur gratulamur nobis, quod titulum *Karæorum*, quæ vox idem valet, quod Scripturiorum, nobis NeoPharisæi non inuideant, quem, et si iniustissima ratione appellationis adhibita, nobis dent, eo tamen, quem iam indicauimus, sensu præcise sumto, æquisimis animis sustinemus. Dicebantur enim Sadducæi *Karæi* vel *Karaitæ*, quia, admittere nolebant traditiones, si Rabbi *Lipmanno* in libro, quem Christianis & Sadducæis maximam partem opposuit, cui titulus: *Nizachon* (*Victoria*) numero LXII credimus. Verba eius sunt: *Sadducæi vocantur nostra ætate Karæi vel Karaitæ, quorum maiores admittere noluerunt legem ore tenus solum traditam.* Hæc *Lipmannus*. Nobis facile persuaderi finimus, Sadducæos & Karæos eosdem fuisse. Nam ut *Iosephus Scaliger*, *Drusius*, uterque *Buxtorffius*, *Wilhelmus Schickardus* & alii eos seiungant, videntur tamen de hodiernis *Karæis* loqui, qui scilicet in Turcia hodie vigent, unique Scripturæ mordicus adhærent, omnes vero Rabbinorum traditiones confodiunt, eorumque solennitates false derident. Hinc uterque *Buxtorffius* hosce recentiores Karæos veluti propaginem ex vetustis Sadducæis pronatam arcessunt, & *Hottingerus* (qui in *Thesauro suo Philologico* duplices Karæos, primos eosque parum a Sadducæis alienos, & modernos siue posteriores ab iis immane quantum distantes statuit, tamen) in *Historia Ecclesiastica* quam post edidit, capite I, sectione I, p. m. 10. pro iisdem venditat.

## E

## XXIV.

## XXIV.

Interim si vera essent, quæ Iudæus Abraham Zachut in fronte sui libri: *Iochasin*, postquam tres Iudæorum sectas recensuerat notaueratque, quamlibet sectam peculiarem consuetudinem legemque habere, subiunxit, non esse eosdem, (Sadducæos) cum Karæis, eo quod hi profiteantur præmium & pœnam (post hanc vitam) ac resurrectionem, contra quam faciant Sadducæi; vtique tanto iniustiori titulo, quantum ad præsens attinet, cum Karæis nostros composuissent Neo-Pharisei, quia Karæi sic admisissent ea tanquam credenda, quæ expressis verbis in Scriptura sacra canonica veteris Testamenti contineri cum Sadducæis negabant.

## XXV.

Fallit porro *Maldonatus*, quando Phariseos in oppositio ne ad Sadducæos a dignitate & antiquitate commendat. Quippe *Iosephus Flavius* libro XVIII *Antiquitatum Iudaicarum*, capite II, expresse testatur, quod Pharisei Sadducæos numero vincant, hi vero (Sadducæi) dignitate præcipui sint. Græca verba sonant: ὅι περτοι τοῖς ἀξιωμασ. Alter *Iosephus* (nempe *Gorionides*) capite XXIX tradit sequentia: *Tenuis plebs sociabat manum cum Phariseis, eratque eis auxilio præter diuites eius, qui erant cum Rege & Sadducæis, & adiuuabant eos.* Ex his perspicuum est, qua veritate *Maldonatus* ad *Iosephi* testimonium pro sua sententia prouocare ausus sit. Nec difficile foret ex Antiquitatis Historicæ monumentis probatum dare, quod Sadducæi Phariseis sint longe antiquiores, cuius adserti veritatem prolixe tuitus est laudatus *Scaliger*: Eandem quoque sententiam *Hugo Grotius* & *Georgius Calixtus* præclare turgentur.

## XXVI.

Falsus est *Maldonatus*, dum ait, Christi demum tempore, vel haud multo ante, sectam Sadducæorum ortam fuisse, cum ad minimum per ducentos annos & amplius ante natum Christum exstiterit. Falsum quoque est, Sadducæos tales iniustos fuisse, quales *Maldonatus* fingit. Habent enim nomen

nomen a Sadok quodam, qui sub Antigono Sochæo, Simeonis Iusti successore vixit, & quem ex antiquis Sacerdotibus fuisse credit *Epiphanius*. Ad hunc constanter referunt Iudæorum Magistri se&tæ illius originem. A *Sadok* itaque vel *Sadok Saddokim* & corrupte *Sadducei*. Occasionem initiumque secessus in partes arcessunt iidem a verbis quibusdam Antigoni Præceptoris bene quidem dictis, sed male intellectis a discipulis, quibus nomina *Sadok* & *Baithos*, nempe prout, habet ipse *Codex Talmudicus in Birke Aboth*, capite primo: *Dicere solebat Antigonus vir Sochæus*: *Ne estote sicut servi ministrantes Domino propter portionem, ut accipient mercedem, sed estote sicut servi ministrantes Domino, non propter mercedem, & sit timor Domini super vos.* Hæc *Talmud* habet: In *Lexico autem Talmudico*, cuius Auctor *Rabbi Nathan* anno Christi M.L vixit, relatum legimus, duos istos Antigoni discipulos: *Zadok* & *Baithos* abiisse, & omnibus suis discipulis eadem tradidisse, nec addidisse explicationem, atque persistentes ita disseruisse: *Si nouissent Patres nostri resurrectionem mortuorum & solutionem mercedis iustorum in seculo venturo, nunquam ita docuissent.* Exiisse autem ex iis duas familias prauas *Sadduceorum* & *Baithosorum*, vocatosque esse illos a nomine *Zadok*, hos a nomine *Baithos*. Hæc tradunt ipsi Iudæi. Quæ licet largiamur, ac satis certi de eo simus, quod animam hominis putauerint interire cum corpore, nullamque prorsus vitam post hanc vitam crediderint, negari tamen nequit, eos spem omnem pietatis & iustitiae repositam habuisse in vita præsente, tantoque rigidiores existisse in irrogandis pœnis iustioresque in distribuendis præmiis, quanto certius agnoscebant præmia legem Dei seruantium & pœnas eam violantium, sed (præmia ac pœnas) duntaxat huius vitæ. Nimirum esse, quam videri malebant (*Sadducei*) legum diuinarum acerrimi custodes, hancque ob causam, ipso *Iosepho* iudice, summos honores adipiscabantur. Hinc, eodem teste, moribus suis duritiem & incultam quandam asperitatem contraxerunt, & ubi ad iudicia deuentum, cun-

Etis ad rigorem expensis, omne æquitatis temperamentum neglexisse credebantur, parum a crudelitate alieni. Quia in re consentientem habemus *Hugonem Grotium*, qui *commentario ad caput VII Ioannis*, *versum 53* notat, dissensionem, Phariseorum Christum capere volentium factam esse re infecta, quia Sadducæi pars Senatus sententiam Nicodemi probauerant. Erant enim (verba sunt *Grotii*) ut *Iosephus* notat, in iure dicendo exacti satis legis obseruatores, et libenter Phariseis contradicebant: Videntur autem postea (Sadducæi) cœsisse, intellecta Maiestatis adœcutione. Erant enim cultores Romanæ potentiarum. Hæc *Grotius*. Ob eandem quoque causam odiosi ac despecti plebi, quæ in gratioſorum Phariseorum partes concesſerat, esse pergebant: Odiosum namque genus hominum rigidas pœnas exigentium. Probe nouerat hanc causam Alexander II, Iudæorum e familia Asmonæa Rex: Is dum viueret, a Sadducæorum partibus in iure dicendo exequendoque stabat, Phariseisque semper restiterat, & propterea ipsorum quoque capitales inimicitias & iras expertus erat: Morti autem vicinus coniugi consilium dedit, primum ut apud milites celet suam mortem tantisper, dum castellum capiat, deinde viætrix redux facta cum Phariseis in gratiam redeat, iis amicis vatur, multum licentia ipsiſis permittat. Ita enim fore, ut Pharisei, pro delato sibi honore, laudent eam & commendent, apud plebem totumque populum, sique regnum sibi & posteris facilius conseruet, eo quod ipsi Pharisei plurimum apud Iudæos possint, siue exosum aliquem cupiant ladedere, siue amicum iuuare, ipsisque magnam fidem habeat vulgus, et si per inuidiam de quopiam male loquantur. Adiecit Alexander, se ob nullam aliam causam odium totius gentis expertum fuisse, nisi quod hoc genus (Phariseorum) offendisset. Videatur pluribus *Iosephus libro XIII Antiquitatum, capite XXIII & sequentibus.*

## XXVII.

Denique videat Iesuita noster, vnde probare velit va-  
leatve

leatve, Sadducæos tam superbos, seditiosos, Principum gratiam captantes exstitisse, quæ sane cum testimonio Iosephi valde disconueniunt, libro II de bello Iudaico capite VII scribentis, Sadducæos inter se feris moribus discrepantes, & conuersationem eorum circa exterorū inhumanam fuisse. Ita enim vertit Rufinus Aquilegensis. Imo si vel maxime Sadducæi tales exstitissent, iniustissimo tamen titulo cum nostris compoſuiffet, iustissimo vero titulo cum sociis suis, id est, Iesuitis compositurus fuisset noster Iesuita, qui publicos hostes et obtrectatores Iesu Christi Iudæos cum totis Synagogis, vel etiam manifestissimos atheos, Sodomitas, Epicuræos, imo etiam quorumuis atrocissimorum scelerum, quæ apud nos penitus ignorantur, reos longe lubentius ferre malunt, modo missæ aliisque ceremoniis Pontificiis fese accommodauerint, quam eos, qui Iesum vnigenitum Filium Dei pro vnicō mediatore ac saluatore agnoscunt, totamque fidem, religionem, vitam, omnemque adeo cultum religiosum in verbo ipsius vnice fundant, dum isti Neo Pharisæi opera sua supererogatoria coram Deo, suamque sanctitatem perfectam ac singularem apud homines crepant; plerisque Christianis lectione totius Scripturæ sacræ interdicunt, vt tanto facilius eis imponere possint, tribunitias conciones habent, Manliana imperia vrgent, subditos armant in potestates legitimas, & principes exasperant in subditos, aulas perreptant, Regumque Principumque limina, æque ac conscientias, obsident.

DE  
HERODIANIS.

XXVIII.

HERODIANORVM expressam mentionem Scriptura sacra canonica, consentientibus omnibus Codicibus, tribus tantummodo locis, nempe Matthei capite præsenti siue XXII, versu 16. Marc. III, 6. & XII, 13. facit: Ab Herode autem ali-

E 3 quo

quo adpellationem accepisse, communi, quod sciamus, consensu Interpretes Euangeliorum Antiquitatumque Ecclesiasticarum scriptores docent, nosque illud supra dubitandi licentiam ponimus.

## XXIX.

Duo in primis, quantum ad instituti nostri rationem facit, in disquisitionem veniunt. Vnum est, vnde probetur, HERODIANOS fuisse peculiarem Iudæorum sectam? Alterum, a quonam Herode secta ista nomen habeat?

## XXX.

HERODIANOS fuisse peculiarem sectam, omnium optime sedula inspectio historiæ Euangelicæ nos, nisi iudicio fallimur, docet. Primo enim Christus expressis verbis *Marc. VIII, 15.* præcepit discipulis suis, dicens: *Videte, cauete a fermento Phariseorum & a fermento Herodis.* Non iam dicemus de eo, quod, si *Erasmo in notis* credimus, nonnulli Codices pro voce Ἡρώδειοι legant Ἡρωδιανῶν. Sufficit, quod si parallelum locum inspiciamus, qui *Matth. XVI, 6.* exstat, itemque eiusdem capitinis versu 11 & 12. Saluator noster egerit de sectis ac doctrinis Phariseorum & Sadducæorum, adeoque etiam Herodis ac Herodianorum. Secundo, si Herodiani non fuissent peculiaris secta Iudæorum, aut fuissent peculiaris populus, aut peculiaris status, hoc est, vel Herodis milites, vel eiusdem aulici & ministri, vel collectores & exactores tributorum Cæsari pendendorum, vel qui tributum Romanis soluebant: Ast neutrum salua historiæ Euangelicæ veritate dici potest. Non prius, quia iis ut gentilibus Pharisei minime sese ad sociaturi fuissent, vt pote qui nullo non tempore confortium cum illis cane peius & angue omnes ac singuli fugerunt, teste *Petro Act. X, 28.* (Conferatur locus *Ioan. IV, 9.*) qui etiam cum mysterium sublatæ distinctionis inter Iudæos & Gentiles nondum adsecutus fuisset, peculiari visione admonitus fuit & institutus, vt intelligeret, licetum sibi esse hominem gentilem accedere, & de salute per Christum crucifixum obtainenda docere, prout ex iam citato

*Autorum*

*Auctorum capite liquet.* Nempe illicitum, non lege Mosis, sed decreto sapientum erat, quod pari loco cum lege habebatur, ipseque Seldenus libro II de naturae & gentium lege iuxta disciplinam Ebraeorum legem Iudeorum de gentilibus, quam ipsi sanciuerint, nuncupat, Latineque sic vertit: Sapientes decreuere omnimodos gentiles, tam masculos, quam fæminas, pro eis, qui perpetuo sanguinis profluvio laborant, siue ea de re constet, siue minime, habendos, quoties de munditia & immunditia quaestio fit. Hæc ille citati libri capite V p.m. 177.

## XXXI.

Lubet paucis notare lapsum eorum, qui ea, quæ in Aruch, hoc est, Lexico quodam Talmudico de columbis dicuntur, & quæ Ioannes Buxtorffius in suo Lexico Talmudico Rabbinico ita interpretatus est: Rex Herodes adduxit columbas ex deserto, & educavit eas in terra habitata, factæque sunt educatio, (hoc est, cicures, edocē, mansuetæ, vel factæ sunt soboles siue propago scilicet peculiaris) vocataeque fuerunt secundum nomen eius Herodianæ p. m. 631. de hominibus intelligenda esse, sibi primum, deinde aliis persuaserunt. Quod enim Ioannes Drusius, cuius, quantum ad præsens attinet, auctoritas, multis imposuit ac etiamnum imponit, ad Aruch tam audacter prouocat, inque illo Lexico Iuris Ebraici, quod vocat, Herodianos ut natione Græcos expresso nomine peculiaris gentis describi, & a loco, unde ab Herode abducti fuerint, denominari adserit, eo ipso tantus inque hac litteratura versatissimus vir satis semetipsum aliosque frustratur, proprio exemplo docet, etiam parum tuto in hoc controuersiarum genere tali auctoritati credi. Dicuntur namque Herodianæ columbæ, hoc est, a nomine Herodis Regis, qui operam singularem earum educationi in palatio suo impenderat (prout Talmudis interpretes & ex iis laudatus Buxtorffius in explicatione loci Talmudici huc facientis notant) ut verba Lexici, cuius inspectio Drusium fecellit, habent, Dorfianæ a nomine loci, vnde eas columbas Herodes abduxerit. Hinc Buxtorffius deceptum fuisse Drusium ait, eo quod nihil tale  
vel

vel per somnium Talmudicis, vel auctori *Aruch* in mentem  
vñquam venerit, & illic nulla fiat mentio Græcorum, sed  
columbarum: fontem vero erroris credit, quod *Drusius* illud  
Lexicon Talmudicum tantum, non ipsum Talmud inspe-  
xerit, vbi ex circumstantis omnibus euidentissime lique-  
at, non agi illic de hominibus, sed de auibus. Hæc *Bux-  
torffius.*

## XXXII.

Non posterius, quia si Pharisei hisce talibus stipati ad  
Christum accesfissent, metuendum ipfis omnino fuisset, ne  
vel populus, cuius molimina vehementer timebant, vel  
Christus illud subolfaceret, quod intentioni eorum e dia-  
metro repugnabat, de nulla re magis solicitorum, quam  
quo iustitiæ prætextu, quave morum sanctimonia affectata,  
& Christum & populum fraudes suas celare possent, ac re-  
apse celarent, ceu ex *Luc. XX, 20* liquet. Imo quod milites  
non fuerint Herodiani ad Christum misi, vel solus *versicu-  
lus decimus nonus* citati *capitis vigesimi Lncæ* subinnuit. Quip-  
pe testatur Euangelista, Phariseos timuisse populum, id est,  
tumultum plebis vel populi Christo adhærentis, idque pro-  
pter manus Christo iniicere ausos non fuisse, ne scilicet tu-  
multum, quem vehementer timebant, excitarent. Quid?  
quod optimus Saluator eos non dicturus fuisset hypocri-  
tas, vt est apud *Matthæum capite XXII, 18. quid me tentatis,  
hypocrite?* si discipulos suos cum armata manu ad eum emi-  
sissent Pharisei, hostiliumque animorum suorum luculen-  
ta signa edidissent.

## XXXIII.

Si denique qui tributum Romanis soluebant, nomine  
**Herodianorum** intelligendi venirent, cur non Cæsareani vel  
Romani potius, quam Herodiani adpellarentur, & cur non  
omnes Iudei dicerentur Herodiani? Omnes namque Iudei  
tunc erant sub potestate Cæsaris, eumque pro Rege suo a-  
gnoscebant, vt supra vidimus, quod etiam Christus tan-  
quam certissimum atque ab ipsis etiam aduersariis conces-  
sum

sum præsupponebat , et quod Cæsar Romanus censum iure superioratus ab ipsis exigat, ita quidem, ut certum monetæ genus, Romanæ scilicet præscribat, quo censum istum soluant. Tributa quoque Herodis magni temporibus Iudæos Romanis persoluisse, imo Iudæam post primam debellationem a Pompeio factam vsque ad præsens Christi cum Phariseis & Herodianis colloquium ad tributa soluenda obligatum fuisse , e probatisimorum Historicorum monumentis clare deduci potest. Refert *Iosephus libro XIV Antiquitatum capite VIII*, Pompeium Hierosolyma, hoc est, ut *Seldenus* explicat , totam Iudæam tributariam & ad census Romanis pendendos obstrictam reddidisse , & breui tempore plus quam decem millia talentorum Romanorum a Iudæis exegisse. Idem quoque testatur , Cæsarem Iudæis annua tributa imposuisse per Antipatrum a Cæsare constitutum Syriæ præfectum & Iudææ procuratorem, eodem libro *capite XVII*.

## XXXIV.

Restat ut breuiter dispiciamus , a quoniam Herode secta Herodianorum nomen ac adpellationem sortita fuerit ? Et quidem tres circumferuntur opiniones : Prima *Herodi Agrippæ* tanquam auctori hanc ipsam sectam adscribit , quam sententiam multi ex *Pontificiis* seqvuntur , nisi *Philastrii Episcopi* Brixiensis auctoritate. Ita enim ille catalogo hæresium pag. 13. scribit : Alii Herodiani sunt ab Herode Rege Iudæorum ita adpellati. Isti resurrectionem profitentur , Legem & Prophetas accipiunt : Herodem autem Regem Iudæorum passum ab Angelo , ipsum ut Christum sperantes expectant. Hic autem Herodes nullus alias est , quam Agrippa , quo de *AET. II, 23.* eiusque tristissimo obitu legitur. Imo certe eruditissimi viri dudum ex temporis & historiæ circumstantiis demonstrarunt , alium quam Herodem Agrippam non potuisse a Philastro intelligi , eo quod ad Herodem istum , cuius citato *Autorum* loco mentio fit , respexerit. Alterius sententiæ Patroni Herodianos ab *Herode Antipa* denominatos volunt , inter quos est *Sebastianus Baradius* in sua *concordia euangelica* , *tomo III, libro VIII, capite XII,* & communiter numerum

F  
rum

rūm complere auctōrem *Syriacæ versionis*, eiusque interprētem Tremellium doctissimi viri censent. Tertia opinio Herodianis nomen ab *Herode Magno* iure meritoque tribui credit, cui omni seposito dubitandi periculo adstipulamur, habemusque præentes magnæ auctoritatis scriptores: *Iosephum*, *Epiphanius*, *Hieronymum*, *Theophylactum*, & ex recentioribus: *Hugonem Grotium*, & *Isaacum Casaubonum*. Hoc enim negari nequit, ante Archelaum neminem nisi Herodem Magnum regnasse: Iam vero *Iosephus* narrat, Herode Magno mortuo, testamentum eius dispositioni Cæsarī commissum fuisse, vbi Archelao Herodis Magni filio Iudæa & Idumæa obtigit & Samaria, cuius incolis quarta pars tributorum ex auctoritate Cæsarī remissa est eo, quod cæteris (nempe Iudæis & Idumæis) tumultuantibus sese non iunxissent. Videatur *Iosephus* libro III de Bello Iudaico, capite ultimo. Audiamus quoque *Epiphanius*, qui tomo I aduersus hæreses, libro II, hæresi LI numero XXII, scribit sequentia: Anno, inquiens, Augusti Imperatoris XLII natus est Christus: Siquidem Augustus XIII annis imperauit, antequam Iudæa penitus esset Romanis adiuncta. Quanquam post annos fere, quam imperare cœperat, plus minus quatuor fœdus inter Romanos ac Iudæos, initium fuerat, auxiliaque submissa: Quin & Procurator in Iudæa constitutus, ac nonnihil tributorum quinque propemodum annis indictum; donec Romanorum ditioni cesit penitus, & omnino tributaria est facta: cum iam principes e tribu Iuda defecissent, & Herodes ex gentibus, sed tamen proselytus regnum obtineret. Postea vero Christus Bethlehem Iudææ natus est, & ad auspicandam prædicationem prodiit; quo Christi tempore, duces plāne desierant; qui quidem ad Alexandrum usque principem perstiterunt. Ea vero cuncta ab eo tempore cœpere, quo Christus Bethlehami natus est, anno totius imperii Augusti XLII, qui erat nonus a procuratione Antipatri Herodis parentis, cum Romanos inter & Iudæos amicitia foret, ac nonnulla tributa penderentur, & quarto iam anno Herodes esset ab Augusto præpositus. Qui cum annos in ea

ea administratione quatuor exegisset, Antipater vero illius Pater quinque fere procuratione perfunditus esset, tandem Iudæa prorsus Romanorum potestati cessit ad Herodis annum XXXIII, Augusti vero XXXII, cum, ut diximus, Iudæa omnis esset occupata, ac iam XXIX annis Romanis facta tributaria: Postquam & Antipater Herodis procurationem gessit, & Herodes post illum Iudææ Rex ab Augusto creatus est. Hæc Epiphanius. Nulli quippe dubitamus, quin, sicut Herodes Magnus ante Christi aduentum Rex Iudææ declaratus est, ita statim ritus Iudaicos immutauerit, sicque quosdam tunc temporis suorum factorum commendatores atque defensores inuenerit. Tantum hac vice, moniti meliora sequemur.

### *SIT SOLI DEO GLORIA.*

*Ne pagina relinqueretur vacua, placuit  
tria èmperæ adiicere:*

#### I.

##### *Contra Pontificios.*

Orthodoxa nostra sententia est, hominem peccatorem, quando coram Deo iustificatur, intrinsece mutari, & ex iniusto iustum per intrinsecam denominationem talem fieri: Ast iustificatio ipsa non est intrinseca eius, qui coram Deo iustificatur, mutatio.

#### II.

##### *Contra Caluino Reformatos.*

Absolutum est mendacium dicentium absolutum esse, mendacium nostratum Theologorum, qui dicant omnes Caluino Reformatos aut expressis verbis, aut per pronam & immotam consequentiam ex propria ipsorum hypothesi fluentem statuere absolutum decretum æternæ electionis.

#### III.

##### *Contra Socinianos.*

Pœna temporaria quam Christus pro omnium ac singulorum hominum singulis ac omnibus peccatis sustinuit, si reæste æstimetur, in ordine ad omnes omnino singulorum hominum pœnas æternas, quas alias luere necessum habuissent, verisime sese habet ut æternitas ad tantillum temporis.

VIRO. CLARISSIMO  
DN. IOANNI. EBELIO  
S. THEOLOGIAE. CULTORI  
MAXIME. STRENVO  
AUDITORI. MEO. PUBLICO. PRIVATO. PRIVATISSIMO  
SEDVLO. FREQUENTI. GRATO  
CELEBERRIMAE. ACADEMIAE. LIPSIENSIS. OLIM  
IAM. IENENSIS  
PATRIBVS  
PER. DECENNIVM  
NOTO. PROBATO. DILECTO  
FAVTORI. SINGVLARITER. HONORANDO  
AMICO. AESTVMATISSIMO  
POST. FELICITER. ABSOLVTVM. COLLEGIVM. NOSTRVM  
BIBLICO THEOLOGICVM  
LECTORIO DICTATORIO EXAMINATORIVM  
IN. DICTA. BIBLICA. FUNDAMENTALIA  
LOCOS. SINGVLOS. THEOLOGICOS  
OMNES<sup>Q</sup>VE. LIBROS. ECCLESiarVM. NOSTRARVM  
SYMBOLICOS  
AC. TOTIES. CVM. LAVDE. ET. FRVCTV. EXIMIO  
IN. VTRO<sup>Q</sup>VE. TEMPLO. CONSCENSVM. SVGGESTVM  
NVNC. CATHEDRAM. ACADEMICAM. ORNATVRO  
TOTA ANIMI. MENTE. GRATVLOR

**T**E. DOMINI. VIRTVS. VT. PRINCEPS  
GEMMA. CORONAT  
ALTERA. SCIRE. TVVM. TERTIA  
SEDVLITAS.

Auctori Respondenti doctissimo  
Imque f.

**VALENTINVS Belthem / D.**  
Rector Academiæ designatus,  
Præses.



Yc 6659

ULB Halle  
003 307 565

3



SB

bmp





12.

T E R G E M I      *D. B. V.*  
S P E C I M  
**DISPVTAT**  
A MAGISTRO QVI EST IP  
HABITAE  
*EX MATTHAEI C*  
*DEMONSTRATV*  
cuius occasione vna ex Histori  
DE  
*PHARISAEIS SADDV*  
*HERODIAN*  
aduersariis Domini Iesu , cum qu  
disquiritur,  
*PUBLICO DOCTORVM*  
*EXPONETVR*  
IN ACROATERIO THEOLOG  
PRAESIDE  
**DN. VALENTIN**  
S. Theol. D. & P.  
*Patrono ac Preceptore suo omni*  
*etatem deuenerando*  
**I O A N N E** <sup>a</sup>  
Sehusa Marchico,  
Autore Respondente  
*ad Diem Iulii*  
*A. O. R. M DC XCI*

---

IENAE, Litteris EHRIC

